



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XLVIII. Dat operam Virgo, ne Diaconus christiana sepultura
careat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

ab inimicis ob sua flagitia trucidatus, indignus uisus est christiana sepultura; eumq. in sacro loco sepelire recusauit uicinia sacerdos. Post eius obitum triginta dies praeterierant, cum Virgo de sacerdote, à quo christiana sepultura uetita fuerat, quaesiuisset; cur tam iniquè cum cliente suo fidissimo egisset. Quinetiam iussit, ut in sacro, & religioso loco eius cadauer poneret. Ea re cum multis priùs communicata sacerdos ad eum locum contendit, in quo iacebat cadauer. Ibi in eius ore purpureum florè reperit, & linguam adhuc puram, & integram: tametsi iam triginta dies in sepulchro corpus abditum fuisset. Id factum fuisse omnes conijciebant, quia ex illius ore saepè Virginis saluatio proficiscebatur. Itaq. illinc cadauer honestissima pompa elatum, & mutato solo, in sacro loco conditum est; Virginiq. ab omnib. ob tantam pietatem maximae gratiae actae sunt.

MIRAC. VIRG. XLVIII.

Dat operam Virgo, ne Diaconus christiana sepultura careat.

Templo Virgini dicato inseruiebat monachus Diaconus, eius cultui maximè deditus; sed ingenio nimis iracundo, & ad excandescendum facili erat. Iracundia forte ita exarsit, ut illo impetu inimicis quibusdam sauciatis, ab illis postea telo traiectus, letali uulnere conciderit. Id cum ad ciuitatis Antistitem fuisset delatum, grauiter illud factum accusauit; quòd ille ultrò in mortem erupisset. Prohibuit igitur, ne intra coenobium, nec in coenobitarum sepulchro

sepulchro sepeliretur. Antistitem Virgo noctu comperiens, ualde conquesta est, ob illatā Diacono iniuriam; iussitq; ut illius corpus inter aliorū monachorū cadauera honestè sepeliendum curaret. Quòd si mandata illa spreuisset, nec eius Diaconi curam gessisset, à quo obseruari & coli solebat, dignas poenas expensum iri monebat. Mane Episcopus, sacerdotum concilio celeriter conuocato, quae in somnis acciderant, exposuit, & eius iussu illius corpus piè intra coenobij sacra septa piè reconditum est.

MIRAC. VIRG. XLIX.

Mira uocis dulcedine adolescens Virginis laudes canebat; cum à Iudaeis necatur, at ipsa eum repente exsuscitat.

FRequenter quodam in templo uerba illa decantabantur, GAVDE Maria, unà cum illo uersiculo, ERVBESCAT Iudaeus: Iussum fuit adolescenti, qui uocis dulcedine, & suauitate excellerebat, ut illum hūmū caneret. Forte illac transire Haebraei, qui ad uineas ibi proximas, animi gratia, secedebant. Illi ira perciti, & acerbum odium contra adolescentem statim concipientes, blandis, & phaleratis dictis secum illū ad uineas perduxerunt; ubi incautum postea interimerunt. Post impiorum abitum, à Virgine, cui laudes canebat, exsuscitatus est: eiq; illa edixit, ut se animo postea constantius obfirmaret, & coram omnib. palam, & aperte praedicaret easdē laudes. Quod ipse & crebrius multò, & suauiori contentu facere perrexit, ab instituto suo minimè recedens.